

curabant — relicto gentilitatis errore conversi sunt ad Deum. Post haec assumptis fidelibus, qui crediderant, beatus Maternus insulam Novientum ingressus, templum effringens aras destruxit, simulachra comminuit ac in flumen proiecit simul cum omnibus vasis sacrificiorum atque utensilibus templi, ossa etiam mortuorum, quae ibi reperta sunt, in quodam immundo loco ac palustri ipsius insulae proiecit, quae etiam usque hodie a quaerentibus inveniuntur. Nec satis: exedras etiam et mansiones edificiorum destruxerunt, verum de ruinis earum in eodem atrio ecclesiam in honorem beati Petri construxerunt dedicaruntque. Deinde prespiteris ac ministris de ipsis fidelibus, qui crediderant, ut de verbo divino circumpositas nationes instruerent¹, institutis, beatus Maternus civitatem Argentinam praedicationis causa ingreditur, cumque incolas de sacrilega idolorum cultura argueret ac sacra ipsorum destruere tentaret, cives ira commoti ipsum cum sequentibus suis ex oppido non sine iniuria propellerunt². At illi repulsam suam³ Domino committentes et pulverem pedum suorum super ipsos eicientes ad relictum habitationis suae locum repetare² ceperunt. Cumque in itinere essent constituti, beatum Maternum repentina febris invasit, quem cum humeris suis impositum secum ferre tentarent, spiritum exhalavit. Illi ergo rerum inopia ac labore fatigati, simulque feritatem barbarae gentis metuentes, flumen Yllum transiere ipsumque in loco deserto ac solitario cum maximo luctu ac fletu sepeliere⁴. Unde etiam usque in hodiernum diem locus idem Elegium⁵ propter elegos⁶, qui ibi profusi sunt, est vocitatus.

3c. His ita peractis beati Eucharius et Valerius pro amissione magistri Romam ad sanctum Petrum remeare disponunt. Iter itaque arripientes (mirabile dictu!) decimo quinto die urbem ingressi ad ipsum pervenerunt eique de adversis casibus ac de morte magistri non sine luctu sunt conquesti. At ille laeto, ut erat, vultu subridens ait: 'Fratres, nonne haec sunt verba quae recedentibus vobis saepius intimavi: quia oportet nos multa pati pro nomine Christi et per multas tribulationes intrare regnum Dei?' Deinde conquerentibus de morte magistri subiungens ait: 'Frater nonne Maternus aliquantulum tardius dormire solebat? Nunc vero nimio sopore deprimitur. Sed nunc, fratres, cum festinatione remeantes hoc certissimum ei signum, baculum veluti meum, in manibus ponite, sed dicentes: 'Frater Materne! Petrus apostolus domini nostri Iesu Christi haec tibi denunciat, ut in nomine

1) Auf diese Stelle werden sich die Worte 'ut prediximus' in Cap. 3 (S. 433, 5 der Ausgabe) beziehen. 2) So die Hs. 3) repulsum suum Hs. 4) reperiere Hs. 5) Eley an der Ill, gegenüber von Benfeld, vgl. Hegel, Städtechroniken, Strassburg II, 710 N. 1. 6) elogos Hs.